Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

hominum de .v. panibus? et tamen hoc nemo miratur. illud mirantur homines,
non quia maius est, sed quia rarum est. Quis enim et nunc pascit universum mundum, nisi ille qui
de paucis granis segetes creat? Fecit ergo quomodo deus. Unde enim multiplicat
de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit .v. panes.
Potestas enim erat in manibus christi. Panes autem illi quinque quasi semina erant,
non quidem terre commendata, sed ab eo qui terram fecit multiplicata. Hoc ergo admotum est
sensibus quo erigeretur mens, et exhibitum oculis ubi exerceretur intellectus,
ut invisibilem deum per visibilia opera miraremur, et erecti ad fidem et per fidem
purgati, etiam ipsum invisibiliter videre cuperemus, quem de rebus visibilibus invisibilem nosceremus. Nec tamen sufficit hec intueri in miraculis christi. Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de christo.
Habent enim si intelligantur linguam suam. Nam quia ipse christus verbum dei est,
etiam factum verbi verbum nobis est. Hoc ergo miraculum sicut audivimus quam
magnum sit, queramus etiam quam profundum sit. non tantum eius superficie delectemur, sed etiam altitudinem perscrutemur. Habet enim aliquid intus hoc
quod miramur foris. Vidimus et expectavimus magnum quiddam, preclarum
quiddam, et omnino divinum, quod fieri non nisi a deo possit. laudavimus de
facto factorem. Sed quemadmodum si litteras pulchras alicubi inspiceremus, non nobis sufficeret laudare scriptoris articulum, quoniam eas pariles
equales decoras fecit, nisi etiam legeremus quid nobis per illas indicaverit, ita
factum hoc qui tantum inspicit, delectatur pulchritudine facti ut ad
miretur artificem. qui autem legit, quasi legit. Aliter enim videtur pictura, aliter
littere videntur. Picturam cum videris, hoc est totum vidisse, laudasse.
litteras cum videris, non hoc est totum, quoniam commoneris et legere. Etenim dicis cum videris litteras, si forte non eas nosti legere: Quid putamus esse quod
hic scriptum est? Interrogas quid sit, cum iam videas aliquid. Aliud tibi demonstraturus est, a quo queris agnoscere quod vidisti. Alios ille oculos habet,
alios tu. Nonne similiter apices videtis? Sed non similiter signa cognoscitis. Tu ergo vides et laudas, ille videt et laudat, legit et intelligit. Quia ergo vidimus, quia laudavimus, legamus et intelligamus. Dominus in
monte. multo magis intelligamus quia dominus in monte verbum est
in alto. Proinde non quasi humiliter iacet quod in monte factum est, nec
transeunter pretereundum est, sed suscipiendum. Turbas vidit esurientes,
agnovit, misericorditer pavit, non solum pro bonitate, verum etiam pro potestate. Quid enim prodesset sola bonitas, ubi non erat panis unde